



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Gvilielmi Becani E Societate Iesv Idyllia Et Elegiae**

**Becanus, Gulielmus**

**Antverpiae, 1655**

Elegia IX. Ad Leopoldvm Gvilielmvm, Archidvcem Avstriae, &c. Dum templi, quod Deiparae immaculatè conceptae Societas Iesu Louanij extruit, per Comitem Isenburgicum primum lapidem poneret. Vnâ manu ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12773**

## ELEGIA IX.

A D

LEOPOLDVM GUILIELMVM,  
ARCHIDVCEM AVSTRIÆ, &c.

Dum templi, quod Deiparæ immaculatè conce-  
ptæ Societas Iesu Louaniæ exstruit, per Comi-  
tem Isenburgicum primum lapidem poneret.

Vnâ manu faciebat opus, & alterâ tenebat  
gladium. 2. Esdræ 4.

**Q**uisquis adest, faueat. Noua conditur omne  
fausto  
Cælicolum Dominæ, Cælicolisque domus.  
Ferte viri lapidein, si beat qui ritè paratam  
A magno positus Principe primus humum.  
O lapis, auspiciis alios præiture secundis,  
Excipiat facili te bona terra sinu !  
A te surgit opus, cui religionis amantes  
Iniectas toties indoluere moras.  
Vnde nouum Grudiâ pietas expectet in vrbe  
Momentum rebus præsidiumque suis.  
Fortunate lapis, quamvis nec luce frueris,  
Nec medio illustris conspicere tholo:  
Hanc tamen inuideant tibi cetera marmora sortem,  
Exoptentque tuo delituisse loco.  
Ipsi de cælo Diui, dum poneris, adsunt,  
Æthereæ Michaël gloria militiæ.

G

E:

## 98 G V I L I E L M I   B E C A N I

Et multo Quintinus adhuc à vulnere pulcher,  
 Cuius laurus obit sanguine sparsa caput,  
 Et sibi denoti cui maxima cura Louanî  
     Petrus, & hac templum quisquis in vrbe tenet.  
 Gaudent, & talis nisi, te qui poneret, esset,  
     Certaret manibus ponere quisque suis.  
 Tu tamen ante alios, Grudiis cultissima semper,  
     Dignaque maiori semper honore coli,  
 Adsis ô ! studiique tuo cum nomine nostri  
     Htic lapidi inscriptas aspice, Virgo, notas.  
 Quodque tuo iunctum nomen legis, id quoque reddi  
     Clarum pro meritis perpetuumque velis.  
 Viuat, cumque tuâ Leopoldi gloria crescat,  
     Seu pax sit, seu, quod non cupid, arma gerat.  
 Austriacos decoret fastos vtrasque per artes,  
     Nec præstet titulis inferiora suis.  
 An pietate prior fuerit, quæratur, an armis :  
     Sed pietas palmam religioque ferat.  
 Utque places illi, placeat sic omnibus ille,  
     Et sit, vt est noster, posteritatis amor.  
 Quique suo metas in te non ponit amori,  
     Auxilij finem nesciat ille tui.  
 Quantò tu major, tantò maiora repende :  
     Cùm tibi præstiterit plurima, plura ferat.  
 Viribus ille hostem; tu vince fauoribus illum,  
     Materiam studiis suppeditesque nouis.  
 Quæ tibi fundandis promptè deseruit aris,  
     Sit felix, hosti nec toleranda manus.  
 Hoc primum. Tum conatus bona prouehe nostros,  
     Et pia præsenti numine cœpta foue.  
 Sunt tibi sintque, precor, terris delubra Brabantis  
     Plurima, vix alia quot regione vides.

Si

Si tamen hoc primū est, Grudiā quod in vrbe dicandū  
 Sit tibi, non nihil hoc, Virgo, valere velis.  
 Sufficias animos: ne desint cetera cures:  
 Quodqueribi surgit, fac, citò surgat opus.

## ELEGIA X.

A D

DIVVM LEOPOLDVM  
AVSTRIACVM.

Dum annum eius festum Leopoldus Guilielmus Archidux Austriae Bruxellis celebraret  
 anno M. DC. III. XVII. Kal. Decemb.

**F**esta dies rediit. Belgæ tibi sacra paramus:  
 Dexter ades sacrīs, ô Leopolde, tuīs.  
 Austria centenis tua nunc tibi supplicat aris:  
 Hunc si bi seu proprium vindicat illa diēm.  
 Tota tibi est hodie: laudes tibi, votaque soluit,  
 Suspenditque tuīs munera multa tholis.  
 Austria, pace tuā, nostra huius pars bona festi est,  
 Atque aliquid, tibi quo Belgica certet, habet.  
 Quem prece sollicitas, est & cur inuocet illa,  
 Quem colis, est & cur non minūs illa colat.  
 Olim tu fueras Leopoldo Principe felix:  
 Heredem tanti nominis illa tener.  
 Qui quod habet nomen, virtutibus ornat iisdem,  
 Per quas deliciæ tunc erat ille tuæ.  
 Tu fueras illius amor, tu maxima cura:  
 Et nos huius amor, primaque cura sumus.

G 2

Ille